

DE PRECIBUS IMPERATORI OFFERENDIS
ET DE QUIBUS REBUS SUPPLICARE LICEAT VEL NON.

1.19.1

Impp. Diocletianus et Maximianus A A. Firmina.

Licet servilis condicio deferendae precis facile capax non sit, tamen admissi sceleris atrocitas et laudabilis fidei exemplum super vindicanda caede domini tui hortamento fuit, ut praefecto praetorio iuxta adnotationis nostrae decretum demandaremus (quem adire cura), ut auditis his, quae in libello contulisti, et reos investigare et severissimam vindictam iuxta legum censuram exigere curet.

D. VIII id. Oct. Diocletiano IIII et Maximiano III AA. cons.

[a. 290]

1.19.2

Imp. Constantinus A. Severo, pu.

Quotiens rescripto nostro moratoria praescriptio remittitur, aditus supplicandi pandatur, quod autem totius cognitionem tollit et vires principalis negotii exhaustit, sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest, nec praescriptionis igitur peremptoriae relaxatio petatur.

D. Xk. Iun. Nicaeae Paulino et Iuliano cons.

[a. 325]

1.19.3

Idem A. ad populum.

Nec damnosa fisco nec iuri contraria postulari oportet.

PP. VIII k. Oct. Romae Constantino A. VIII et Constantio C. IIII cons. [a. 329]

1.19.4

Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Floro pp.

Universa rescripta, quae in debitorum causis super praestandis dilationibus promulgantur, non aliter valeant, nisi fideiussio idonea super solutione debiti praebeatur.

D. VIII k. Mart. Constantinopoli Antonio et Syagrio cons.

[a. 382]